

Illustr: & R<sup>ndiss.</sup> D<sup>ño</sup>,  
**D. ACHACIO  
GROCHOWSKI**

Dei & Apostolicæ se-  
dis gratia  
**E P I S C O P O P R E-**  
**M I S L I E N S I .** *Anno*  
SIMONIS STAROVOLSCI,

Ad primum ingressum in Ecclesiam  
Cathedralem

**G R A T V L A T I O .**

I A R O S L A V I Æ,  
In Officina Ioannis Szeli<sup>g</sup>æ, A. D. 1625.

852

*S. Maria*  
*Maria*

1796 A.D.

LAURENTIA

GRATULATIO

AGATHA MARY IN ECCELESIAM  
SIMONIS STAVROPOLESCI

Clementem

MISERICORDIE  
EPISCOPO PRE

dismissus

Dei & Abrogatione fe-

GROCHOWSKI  
D. A. O. H. A. C. I.  
Hilary & Rudolf Dgo

# ORATIO.



I QVANDO GAVDE-  
bat Premisiensis Ecclesia ;  
ob datum sibi Episcopum bo-  
num , grauem , religiosum , &  
prudentem , tum hodierno te-  
pore maximè gaudet : quando  
te Illust : Präful , olim subditum suum , nūc to-  
tius Cleri videt Pastorem & agnoscit ; antea  
filium habuit , nunc veneratur parentem ; & ex  
concieue atq; confratre , Episcopum dignissi-  
mum salutat . Nec immerito , nam ita illud nu-  
men æternum agere amat , vt dum prouincia  
aut genti alicui , vastate diuersarum procella-  
rum nimbis , benignitatis suæ & clementiae ra-  
dium porrigit destinet , è medio populi illius  
desumere Principem solet ; qui eo diligentius ,  
domesticarum legum & consuetudinum peri-  
tus , prouideat in necessarijs , & subueniat in de-  
fectibus , vel naturalis amoris instinctu in Pa-  
triam , vel ordinatæ charitatis lumine in gentem  
suam atque Sanguinem propensus . Talem

A 2

te ho-

te hodie Antistes Amplissimè cum nostra con-  
templetur Premilia, vniuersa fere perfunditur  
lætitia, cumque tripludio gaudet, nacta pertur-  
batæ incursionibus barbarorum Ecclesiæ, in-  
tegerrimum Pontificem, desolatæ populatio-  
nibus Provincia, prudentem Senatorem, spo-  
liatis ciuibus omnibus fortunis, condolentem  
Tutorem, afflictis conterraneis & consanguineis suis, liberalem Patronum, vastatis Scythicæ  
immanitate subditis, optimum Parentem,  
deniq; conculsæ tot motibus bellicis vniuersæ  
Roxolaniæ, circūspectū in omnia Megistanē.  
Qualem, & nos remotiores, ob ingentem vir-  
tutum splendorem mirati dum limina Diui  
Præcursoris faustis ominibus subis, tacitâ vene-  
ratione salutantes, priuatis etiam votis, in pu-  
blica omnium lætitia prosequimur, & gratula-  
mur hac breui oratiunculâ perpetuitatem, in-  
comparabili tua cum in Patriam atque patrio-  
tas propensione, cum in litteras ac litteratos  
humanitate permoti, nihilque in te magis ad-  
mirandum existimamus, quām excellentem de  
Patriâ tuâ, atque iadeo de vniuerso hominum  
in illa litteratorū genere benemerēdi facultatē.

cod. 21

Et qui-

Et quidem patriæ amorem, omnes omnium in se charitates complectentem, illi ipsi solummodo habere mihi videntur, qui nudo & aperto pectore, se se periculis Reipub: obijciunt, qui pro communi utilitate atque ornamento, labores & onera suscipiunt, illius salutem & incollumitatem prospiciunt, illius emolumentum absque priuato affectu, aut commodo curant, illaque totâ sartâ tectâ & florente, se atque sua florere existimant: qui illius amore, sequuntur rationem virtutis non desidiae, splendoris non voluptatis: & qui denique non sibi solis, non sociis, non delectationi, sed suis ciuibus, sed laudi, sed gloriæ, natos se esse arbitrantur. Isti tales bonorum iudicio, absque omni controuersia, optimi ciues atque boni Viri in Repub: audiunt, assequunturque excellentibus virtutibus suis, ut & nomen ipsorum memoriâ hominum vigeat sempiternâ, & animus in cœlesti illa beatitudine perpetuo reuceat. Non item illi violatores tranquillitatis publicæ, inuasores bonorum alienorum, creptores opum, facultum, vitæ ad extremum ipsius, impunitate sce-

lerum suorum exultantes. Quales cum quæ-  
que gens & natio, nescio quâ occultâ naturâ  
vel syderum vi, persepè patiatur, tum nostra  
Polonia sœpiissimè sanè, maxime vero his supe-  
rioribus elapsis annis perpessa est: quibus &  
domesticis Dynastarum discordijs, & Tarta-  
rorum inopinatis incursionib[us] hic tractus  
Premisiens[is] valde concussus fuit. Et nisi ad-  
fuissent Viri post Deum magnanimi, Viri  
fortes, Viri animosi, qui vtrumque tempus,  
tum pacis tum belli tutissimum reddere sciunt,  
atq[ue] cum fuisset fortasse non de Premisiensi  
districtu tantum, sed de totâ Russiâ etiam, quini-  
mò & de vniuersâ Partiâ nostrâ. Quam dum  
illis sic afflictam & affectam pro ingenio quisque  
suo iuuare; & ad portum tranquillitatis dedu-  
cere certant, tu quoque Praeful Ampliss. pro  
innato tibi erga eam studio & amore, opem &  
manus accommodare non desistis, dum q[ui] à te-  
nero statim ornare eam pro posse tuo conten-  
dis, ornatus ab eadem inuicem, majorem sine  
dubio attulisse majoribus, tuis splendorem  
quam ab illis accepisse existimaris. Et quoru[m]  
ego decora atque dignitatis insignia, du-  
cimus

ce me-

ce meridiana per se clariora volens ac lubens  
hic pretereo , tum quod in oculis omnium  
um posita, tu quod lumen ac nobilitatem ma-  
iorum disertam oratione laudare sueti , illos  
ipsos potius & familiam exornare videntur,  
quam eum solum qui propositus , sit celebra-  
ndus. Quaoibrem patria tuam quae tibi est cla-  
rissima, & Paretes Tuos, atque consanguineos;  
qui non per Russiæ tantum Provincias, monti-  
bus Carpatis adiacentes sunt notissimi, sed per  
vniuersum ferè Polonicum Regnum , & gen-  
tes quasvis Sarmatiæ cultiores, non est necesse  
ut in tuis laudibus ponam, quia ex eiusmodi  
ornamentis, exiguum claritatis suæ partem  
vendicare sibi clarissimi Viri consueuerunt : sed  
vt hoc ipsum, si non pari oratione , at debita  
certe veneratione prosequar, quod iunior ad-  
huc, & tanto Patriæ splendore fulgens atque  
familia fulgore splendens, non sibi in ocio  
marcescendum, ut plerique alij, putauisti, sed  
eam viuendi viam iniuisti, quæ verum decus,  
veramq; gloriam à sola virtute proficiscentem  
consecatur. Itaque domesticis literis imbu-  
tus: exoticas etiam disciplinas & artes cum  
fructu

fructu degustasti, eisque quantum satis nobilit  
iueni erat perpolitus, in Aulam Te Serenissi-  
mi Regis contulisti, atque vna cum ceteris pa-  
ribus, ita strenue, ita modeste gessisti, ut cum  
omnibus charus, tum præcipue Principi ipsi,  
hisce virtutibus maximum partibus tuis adiu-  
mentum, pinguibus ab illo Sacerdotijs beatus,  
pulcherrimum Patriæ suæ decus, dignitate Ca-  
nonicatus Cracoviensis ornatus, sempiternum  
familiae suæ ornamentum, hac Tiarâ Episco-  
pali decoratus, immortaleq; sibimet ipsi no-  
men, Senatoriâ pretextâ donatus, breui anno-  
rum spacio comparaueris. Quod equidem  
totum, non propter generis nobilitatem, nam  
& alij sunt multi in Polonia nobilissimi, nec  
propter diuitias quoque, cum & his longè  
olleant plurimi, te affecutum existimo, sed  
propter vnam virtutem, nempe eam quam di-  
xi patriæ amorem ; quo tu accensus, non in  
viola, aut in rosa, non in umbra atque in o-  
cio, non in mollibus planisque itineribus,  
sed in arduis, salebris, atque asperis vijs  
versatus, & Ecclesiasticam rem, in Iudicijs  
Tribunalicj aliquoties præsidedo, optime vi-  
uisti,

uisti, & Principis tui personam Commissarius  
iudex, in causis difficilimis pulcherrimè ges-  
sisti, & Patriæ totius reputationem, bonamq;  
famam apud exterorū, prudentissimè propaga-  
sti, quando à Serenissimo Rege ad summum  
Pontificem Romanum Gregorium XV. Ora-  
tor misitus fuisti. Egregiam laudem tuam Prä-  
sul Reuerendissime, & quam nūnquam satis aut  
laudatam esse, aut laudari posse existimō, quod  
hac sola tali in tenebris istis rerum Roxolana-  
rum, quasi sydus aliquod ad lucendum & diri-  
gendum exortus, ita ad res præclare gerendas  
incitatus es, vt nullam aliam requiras laborum  
suorum mercedēm, præter illam ipsam, & me-  
moriam hominum sempiternam, quæ summa-  
tes & Dynastas quoquis magnos, ab omni labe  
ignominiae & turpitudinis seruat incorruptos,  
veluti fax aliqua, assidua concusione ignem.  
Quapropter hic mitto integritatem tuam,  
probitatem, mansuetudinem, affabilitatem:  
mitto præclarum & verè Polonicum in rebus  
agendis candorem: mitto & alia tua decora &  
ornamenta longè clariora, quam ut villo indi-  
geant lumine orationis. Vnum illum publici  
boni

boni amorem quo præcellis, ex animo ample-  
ctor, illamque solam Patriæ charitatem, quâ  
præfulges, in te suspicio & veneror; quâ solâ  
si qui tui similes splendent, non verba iam am-  
plius, sed facta profitentur positi in specula,  
non in solitudine se abdunt, ad suum solarium  
atque voluptatem, sed in hominum luce su-  
dant, algent, esuriunt, pro communi utilitate  
ac dignitate periculis obuiam eunt, quasuis  
difficultates & labores animo prompto & ala-  
cri subeunt, sanguinem quoque ipsum si ita o-  
pus sit pro Repub: profundunt, & mortem  
denique ipsam, si ita Patriæ utile sit, forti ani-  
mo & in concusso oppetunt. Non enim bene  
de genere mortalium illos mereri quidam Vir-  
magnus dixerat, qui cum possent verbo & e-  
xemplo prodesse multis, coecis se antris & um-  
bris abdiderunt. Vnde sicut nummorum  
preciosissimos eos existimamus, quibus mate-  
riæ dignitate, metallique præstantia, non for-  
mæ magnitudine auctoritas conciliatur: ita sa-  
tis nobis ex omnibus laudibus Tuis Ampliss:  
Præful vnam hanc talem quæ maxima est tua-  
rum virtutum attigisse, cum præsertim ea cito-  
ras fer.

teras ferè omnes in se complecti quodam modo videatur. Quid si illi humanitas tua & in litteras ac litteratos naturalis quædam propensio adnumeretur? nam & has Vir bonus (qualis tu publicis vocibus & omnium bonorum consensu, haberis & mereris) atque ad res gerendas, præcipue sacras, natus, multum præ alijs callere tenetur, ut eis meliori modo instructus, sciat sacra & religionem, eā, quā pars est, curā, industriā, pietate, dirigere, defendere, propagare: sciat munia Ecclesiastica: honores, officia & beneficia pro cuiusque dignitate & meritis distribuere: sciat facilitatem in audiendo, acumen in discernendo, æquitatem in decernēdo & diligentiam in exequendo adhibere: sciat demum & non grauetur lapsis succurrere, iacentes erigere, errantes in viam deducere, sollicitos ad æquitatem animi hortari, mœstos solari, cadentibus manum supponere, periclitantibus salutem dare. Et denique ut ipse exemplar sit cunctis morum & sanctimoniarum, doctrinæ & sapientiæ, modestiæ & pietatis in omni vita. Verum enim ideo cum omnibus hisce nequeat sufficere solus,

opus est omnino ut viros prudentes & in omni  
doctrinaram & excellētiū facultatum ge-  
nere exercitatissimos, penes se quām plurimos  
habeat, eosque amet, tueatur, & omni deniq;  
benevolentia complectatur. Quod cūm tu  
facias, Amplissime Präfus, taliumque potissi-  
mum familiaritate & colloquij supramodum  
oblesteris. eorum virtutem, & ingenia, non ut  
alij contundere ac deprimere, sed fouere &  
attollere soleas, atque tenuioribus subuenire  
beneficentia & liberalitate non desistas, sicq;  
videris mihi ex illo hominum genere esse, qui  
& facere & dicere laudanda optime ipsi sci-  
unt, grauiter attamen ferunt si viri illi silentio  
obruantur, quorum memoria superstes esse o-  
mnia eo debebat<sup>sicq; 14</sup> ille es Episcopus, cuius a-  
ctiones etiam nos dissiti plane omnes noui-  
mus, cuius comitatem & animi candorem iam  
pridem perspeximus, cuius prudentiam & dex-  
teritatem adhuc in priuato experti sumus: de  
cuius virtutibus testimonium remotiores quo-  
que præbere poterunt, cuius bonitatem & fa-  
cilitatem nemo ferè in hoc toto Regno repe-  
titur aliquo aut ingenij aut virtutis iudicio no-  
tus,

tus, qui amplissime testificari non quent, sed  
omnibus paſsim perspectæ & cognitæ sunt,  
cum cæteræ laudes tuæ & decoriorum patriæ  
amor eximius & litteratorum. Ergo macte  
his dotibus tuis Antistes Reuerendissime bo-  
nisque ~~auspicij~~ Episcopam tuam ingressus,  
cum adaucta dignitate ceptas virtutes, imò  
suetas & connatas adaugeat tamque magnis  
ac amplis, muneribus adde perpetuitatem, vt  
eam quam de te nunc concepimus spem Pa-  
triatua olim in esse tu cernens, neque zelozi  
illius Dziaduscij admirabilem sanctimoniam  
vitæ, neque prudentis Herborti omnibus sæ-  
culis deprehendendam suavitatem morum, ne-  
que Generosi Koscielecij insignem excelsita-  
tem animi, neque eruditæ demum Goslicij at-  
que aliorum sibi subsequentium ingens propa-  
gandæ religionis studium desideret. Quo-  
rum tu manudictionem in vita spirituali, vt  
omnibus grata & salutaris, imò fructuosa ac  
diuturna gubernatio tua sit, vti in tabula Geo-  
graphicâ immensum terræ globum, vix huma-  
nis oculis mensurabilē vnico strictu intuituque  
complectens, proprio visu exprimere conten-

dé, & nobis omnibus vel cultoribus vel clientibus tuis fausta omnia & prospera precantibus, tutorem te præbe & protectorem clementissimum.

**V O V E O E T G R A T V L O R.**

**D I X I.**

*Voueo*

*Voueo et*



*Voueo et gratuſſ*







